



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XIX. De exercitiis boni Religiosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Utinam in te peritus non dormiret profectus virtutum , qui multa sæpius exempla vidisti devotorum ?

C A P U T X I X.

De exercitiis boni Religiosi.

1. **V**ITA boni Religiosi omnibus virtutibus pollere debet : ut sit talis interiùs , qualis videtur hominibus exterius .

Et merito , multò plus debet esse intus , quàm quòd cernitur foris : quia inspector noster est Deus , quem summopere revereri debemus , ubi cumque fuerimus , & tanquam Angeli in conspectu ejus mundi incedere .

Omni die renovare debemus propositum nostrum , & ad fervorem nos excitare , quasi hodie primum ad conversionem venissimus , atque dicere :

Adjuva me Domine Deus in bono proposito , & sancto servitio tuo : & da mihi nunc hodie perfectè incipere ,

pere, quia nihil est, quod hactenus feci.

2. Secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri: & multa diligentia opus est, bene proficere volenti.

Quòd si fortiter proponens, sæpe deficit: quid ille, qui raro aut minus fixè aliquid proponit?

Variis tamen modis contingit desertio propositi nostri: & levis omissione exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit.

Justorum propositum, in gratia Dei potius quam in propria sapientia pendet: in quo & semper confidunt, quidquid arripiunt.

Nam homo proponit, sed Deus disponit, nec est in homine via ejus.

3. Si pietatis causâ, aut fraternæ utilitatis proposito quandoque consuetum omittitur exercitium, facile postea poterit recuperari.

Si autem tædio animi aut negligentiâ, faciliter relinquitur, satis culpabile est, & nocivum sentietur. *Concurre quantum possumus, adhuc*

E
eo
cap

adhuc leviter deficiemus in multis.

Siemper tamen aliquid certi proponendum est, & contra illa præcipue , quæ amplius non impediunt.

Exteriora nostra , & interiora pa-
riter nobis scrutanda sunt & ordi-
nanda , quia utraque expediunt ad
profectum.

4. Si non continuè te vales colli-
gere , saltem interdum : & ad minus
semel in die, manè videlicet , aut ve-
sperè.

Manè propone , vesperè discute
mores tuos : qualis hodie fuisti in
verbo , opere , & cogitatione : quia
in his sæpius forsitan offendisti
Deum & proximum.

Accinge te, sicut vir, contra diabo-
licas nequitias : frena gulam , & om-
nem carnis inclinationem facilius
frenabis.

Nunquam sis ex toto otiosus : sed
aut legens , aut scribens , aut orans,
aut meditans , aut aliquid utilitatis
pro communi laborans.

Corporalia tamen exercitia discretè sunt agenda , nec omnibus æ qualiter assumenda.

5. Quæ communia non sunt, non sunt foris ostendenda : nam in secreto tutius exercentur privata.

Cavendum tamen , ne piger sis ad communia , & ad singularia promptior : sed expletis integrè & fideliter debit is & injunctis , si jam ultrà vacat , redde te tibi , prout devo tio tua desiderat.

Non possunt omnes habere unum exercitium : sed aliud isti ; aliud illi magis deservit.

Etiā pro temporis congruentia , diversa placent exercitia : quia alia in festis , alia in feriatis magis sapiunt diebus.

Aliis indigemus tempore tentationis , & aliis tempore pacis & quietis.

Alia , cùm tristamur , libet cogitare ; & alia , cùm læti in Domino fuerimus.

6. Circa principalia festa , reno vanida sunt bona exercitia : & Sanctorum

eo
tap

ctorum suffragia ferventiūs imploranda.

De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc saeculo migraturi, & ad aeternum festum per venturi.

Ideoque sollicitè nos præparare debemus in devotis temporibus, & devotiūs conversari, atque omnem observantiam strictiūs custodire, tanquam in brevi præmium laboris nostri à Deo percepturi.

7. Et si dilatum fuerit, credamus nos minùs bene præparatos atque indignos tantè adhuc gloriæ, quæ revelabitur in nobis tempore præfinito: & studeamus nos melius ad exitum præparare.

Beatus servus (ait Evangelista Lucas) quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

